

Et ait aaron uirgam suam coram pharaone et seruis eius que uersa est in colubrum.

Vocauit autem pharao sapientes et maleficos et fecerunt ea quoque aegyptii incantatores sacerdotes similiter. Et proiecerunt singuli uirgas suas que uersae sunt in dracones. sed deuorauit uirga aaron uirgas eorum. Indurauitque cor pharaonis et non audiuit sicut praeceperat dominus.

Dixit autem dominus ad moysen. Ingrauatum est cor pharaonis non uult dimittere populum. Vade ad eum in mane ecce egredietur ad aquas stans in ripa fluminis et uirgam quae conuersa est in draconem tollens in manu tua. Dicesque ad eum. dominus deus hebreorum misit me ad te dicens. Dimitte populum meum ut mihi sacrificet in deserto et usque ad praesens audire noluisti. Haec igitur dicit dominus. In hoc scies quod dominus sum ecce percutiam uirga quae in manu mea est aquam fluminis et uertetur in sanguinem. pisces quoque qui sunt in fluuio morientur. et putrescent aquae et affligentur aegyptii bibere uolentes aquam fluminis. Dixit quoque dominus ad moysen. dic ad aaron tolle uirgam tuam et extende manum tuam super aquas aegyptii super fluuios eorum et riuos et paludes et omnes lacus aquarum ut uertantur in sanguinem. et sit cruor in omni terra aegyptii tam in lignis uel in saxis. fecerunt ergo sic moysen et aaron sicut praeceperat dominus.

Et extendens uirgam percussit aquam fluminis coram pharaone et seruis eius. et uersa est in sanguinem. et piscis qui erat in fluuio mortuus est. putruitque fluuius et non potuerunt aegyptii bibere aquam fluminis. et fuit sanguis in tota terra aegyptii.

Fecerunt autem similiter malefici aegyptiorum incantationibus suis. et indurauit cor pharaonis nec audiuit eos sicut praeceperat dominus. auertens quoque se ingressus est domum suam nec adposuit cor etiam hoc uice.

Foderunt autem omnes aegyptii circa fluuium aquam ut haberent potum. non enim poterant bibere de aqua fluminis. Impleti sunt quoque dies septem postquam percussit dominus fluuium.

Dixit autem dominus ad moysen. Ingredere ad pharaonem et dices ad eum. Haec dicit dominus. Dimitte populum meum ut sacrificet mihi. Si autem nolueris dimittere ecce ego percutiam omnes fines tuos in ranis. Et ebullient fluuius ranas. Quae ascendent et ingredientur domum tuam et cubiculum lecti tui et super stratum tuum et in domos seruorum tuorum et in populum tuum et in furnos tuos et in reliquias cibum tuorum et ad te et ad populum tuum et ad omnes seruos tuos ingredientur ranae.

Dixit quoque dominus ad moysen. dic ad aaron extende manum super fluuios et super riuos et paludes et educe ranas super terram aegyptii. Et extendit aaron manum super aquas aegyptii et ascendere fecit ranas super terram aegyptii.

Fecerunt autem et malefici incantationibus suis similiter et eduxerunt ranas super terram aegyptii. Vocauit autem pharao moysen et aaron. et dixit. Orate dominum ut auferat ranas a me et a populo meo et dimittam populum ut sacrificet domino. Dixitque moysen. Iubere mihi quando deprecer pro te et pro seruis tuis et pro populo tuo. ut abigantur ranae a te et a domo tua et a tuis in fluuio remaneant.

Qui respondit. Cras. ait ille. Iuxta uerbum tuum inquit ut scias quia non est alius sicut dominus deus noster. et recedent ranae a te et a domo tua et a seruis tuis et a populo tuo et in fluuio remanebunt.